

QK. 336, 8.

Zc  
3709

THRENODIÆ  
Beatissimæ Memo-  
riæ Viri quondam Præstantis  
Optimique DN.

BALTHASARI  
LEVCHERI,  
Præfecti Fisci Elect.

Saxon. 10. Cal. Iun. Anno 1611.  
morbo apoplectico correpti.

Consecratæ à  
Cognatis & Amicis.

DRESDAE,  
Typis HIERONYMI SCHÜTZI.

X 2055582

BIBLIOTHECA  
FONICAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

h. Universitätsbibliothek



I.  
**R**omtus in officio, LEU-  
CHERE, priore fuisti

Quàm dare, plus æris perpetuò accipere.  
Inde parùm curæ, nil iræ, plurima lucra,  
Major honor, majus surgit & officium.  
Hoc, vice cum versa, dare multa, capessere pauca  
Temporis infausta pro ratione jubet; (cus,  
Tardus es, heî nimium! frustra petit, urget ami-  
Quæ sua, dant querulos foemina virq; sonos.  
Conjectare licet, nil non, post Fata, fuisse,  
Improvisus obis quod miser ante diem.  
Consilijs homines non rarò erramus, honorum  
Blanda prius mater facta noverca citò.  
Nunc, magno spernens animo deliria mundi,  
Molliter in CHRISTI vive vigeque sinu.

VRBANUS HANTSCHMAN  
I. V. D. C. P. C.

II.

**Q**uam fragile & miserum est vitæ, quod du-  
cimus, ævum!  
Quàm rerum ancipites præcipitesq; vices!

A 2

Quocunq;

Quocunq; ingredimur, stringit vestigia lethum,  
Et dum censetur vita venire, fugit!

Quem sanum exoriens validumq; Aurora salutat  
Hic moriens primo vespere plangit humum.

A lachrymis captos cum fletibus exigit annos  
Agemitu haud villo tempore liber homo.

Prima rudis, seq; ignorans dilabitur ætas,  
Altera curarum mole gravata perit.

Extremam invadunt, facto velut agmine, morbi,  
Dum gravis excruciat singula membra dolor.

Facta Machaonia tentes licet arte morari  
Proderit, invito, nil tamen illa, DEO.

Nec vero humanæ tantum proscenia vitæ  
Cunctorum hæc oculis adspicienda ferunt:

Sed sua cuiq; domus parva est Academia, & intra  
Quisque suos sentit publica damna lares.

Nam si quid potuit cuiquam contingere; id ipsum  
Posse tibi nôris accidere atque tuis.

Hæc animum subeunt, celeri dum funere raptum,  
LEICHERE, è terris didita fama refert:

Te quoque nos meminisse monet DEVS ipse,  
magistro,

Quàm levis umbra, & quàm sit nihil omnis  
Homo.

Te laudatorum generatum stirpe parentum  
TORGA inter cives gaudet habere suos.

Tradidit

Tradidit ingenuas inter tibi LEVCORIS artes  
Noticiamque tui, noticiamque DEI.  
Mox thalami DEVS unanimis te sorte beavit,  
Inter honoratos constituitq; viros,  
Spectatam in minimis hinc per majora probavit,  
Laudavitq; tuam SAXONIS Aula fidem.  
Iamque diu vegetæ te prosperitate senectæ  
Spes erat, atque Ducum posse favore frui:  
Ecce inopina rapit mors omnia! Iamq; maritæ  
Heu dolor, ante decus præsidiumque, jaces!  
Orba domus mæsto mutavit gaudia planctu,  
Heu genitum & lacrymas angulus omnis  
habet!

Sed non tota jacet tecum spes obruta. Non sic  
Acta tibi, ut penitus vita perire queat.  
CHRISTUS, quem teneris castè veneratus ab annis  
Pectore gestabas nocte dieque pio;  
Sanguine lustratum precioso ex asse beavit,  
Inque polum sensu transtulit absque necis.  
Hinc velut è Rostris hominum genus omne  
videris,

Exemplo ut sapiat quisque, monere, tuo.  
Numina quid precibus non auditura fatigas:  
O DEVS à letho me tueare malo?  
Tutius ah quanto fuerat meliusque precari:  
O DEVS à vita me tueare mala?

Exactam sequitur mors consentanea vitam:  
Ut moriare pius, vivere disce pius.

IOHANNES VVANCKELIUS  
VVitebergæ f.

III.

**R**ipit ante malum medioque è turbine  
rerum,

Quos amat, in tuta sede locatque DEVS.

Venturæ indicium non fallax ergo procellæ est,

Quando bonos aufert mors properata viros.

Sic placidâ ante diem compositus pace quiescis

LEICHERE, & terras linquis, & astra petis.

At quæ nos mancant, novit DEVS. Hic mala ver-

In melius, populo det bona fata pio. (tens

Hic animam viuo mundatam sanguine CHRISTI

Intulit angelicis absque dolore choris,

Hic mollem exuvijs det sub tellure quietem,

Nunciet extremum dum tuba clara diem.

Tunc animam jungens cum corpore det tibi

CHRISTVS

Gaudia fidereæ non peritura domus.

IOHANNES VVANCKELIUS  
Medicinæ D.

Perdus

IV.

**P**erdus & pernox, CHRISTIANI Prin-  
cipis æra

Dum curat, fidei sedulitate suæ,  
BALTHASAR; heu tandem LEICHERVS,  
mole peremptus

Curarum subitò, hîc post sua fata jacet.  
In vita fuerat DOMINOQ; DEOQ; fidelis:  
Huic igitur nocuit Mors properata nihil.

IOHAN. SEUSSIVS f.

V.

**A**Am pietatis opus, dolor heu dolor, ulti-  
ma claro

LEICHERO cogit solvere iusta viro.  
Ast ego quid faciam, certò sum nescius: omnes  
Nam moeror sensus præripit ipse meos.  
Eheu, quàm citò spes, citò res humana labascit!  
Hunc habui; sed quid nunc habuisse iuvat?  
Sic habuisse iuvat tamen; hunc quia postmodò  
cernam,

Semper & in cœlo cernet uterque DEVM.  
Salve ergò, affinis, tua tellus molliter ossa  
Contegit, at cœli spiritus astra: Vale.

EPITAPHIVM.

EPITAPHIUM.

Dic mihi, quis cubat hîc? LEICHER sub  
mole quiescit

BALTHASAR; at lætâ sidera mente colit.

Affini desideratissimo *συμπάδας*, &

gratitudinis ergò scripsit

LVCAS VVILCKIVSEilen-  
burgensis, Pastor in Naundorff.

VI.

**V**ivere te certò, rectèque valere putabam,  
Nuper Misniacum præmeditatus iter.  
At verò, heu perii! propero mihi funere raptus,  
Nunc recubas tristi contumulatus humo!  
Nos gemitu, lacrymis, plenosq; dolore relinquis,  
O LEICHERE mei maxima pars animi!  
(Nam tua te virtus mihi junxerat enthea fratrem,  
Præterquam mihi quod sanguine junctus eras)  
O vanas hominum spes & solatia! pulchrè  
Vivere quem speres, mors inopina tulit.  
Gaudia ubi quæras, ibi mæror, ibique dolores  
Cum queruloque miser funere luctus adest.  
Hem quid! vita quid est? fumus, vana umbra,  
Aut fumo si quid vanius esse potest. (vel umbrâ  
Hem quid homo? ah quid homo? viola est, quam  
tempore verno  
Vna dies nasci vidit & una mori.

Principium



Principium vitæ lacrymæ, medium vaga cura,  
Morbis, mors, luctus denique finis erit.  
Sic veterem luimus noxam, miseramq; ruinam,  
Atque rei proprio crimine turba sumus.  
Discite mortales meminisse novissima; mortem  
Noscite, ut hæc certa est, non ita certa dies.  
Hæc demum summa est hominis sapientia:

CHRISTO

Qui moritur, vitam munere mortis habet.  
At tu BALTHASARE ô frater fidissime,  
quondam

Magnus uti, dum te vita manebat, eras  
Virtute, ingenio, famâ, sapientiâ & arte,  
Clarus & in Spartâ sedulitate gravi:  
Sic etiam in primis animæ tibi cura salutis  
Imposita in sana Religione fuit.  
At teneris sanctæ SOPHIÆ spaciatus in hortis,  
Irriguus vivis fons tibi manat aquis:  
Præter IVR Atuum didicisti agnoscere CHR I-  
In cujus posita est cognitione salus. (STVM,  
Clausam corde fidem vitæ integritate probabas,  
Vir tam justiciâ quàm pietate gravis.  
Ergo, licet subito absciderit tibi stamina vitæ  
Parca ferox, nulli parcere sueta viro:  
Parte tui meliore tamen super æthere vivis,  
Hic ubi Cœlicolûm gaudia fine carent.

B

Additus

Additus Angelicæ certatim carmina turbæ  
Pangis, in æternâ Numina luce videns.  
Felices animæ / quibus hac versarier aulâ  
Contigit, atque modis his celebrare DEVM.  
Scilicet eripuit citò te mors livida terris,  
Vita sit ut coelis longior ante DEVM.  
Neu videas seris post eventura diebus  
Damna, quibus mundus concutiendus erit.  
Ex animo hos tibi supremos ego grator honores,  
O LEICHERE vale, frater amate vale.  
Tempus erit quando surges rediivus in auras,  
Clarus & ætherij Solis ad instar eris:  
Rursus in æternum tunc conjungemur amici,  
Nos quotcunq; Fide & Sanguine junxit amor.  
Continuas ibi amicitias repetemus, & unâ  
Psallemus summo jubila læta DEO.  
Interea in gremio dormi jucundus IESV,  
Æternùm salve, perpetuumq; vale.  
Da, precor ex animo, sapienter & ordine vitæ  
Dispensare dies & mihi CHRISTE meos.  
Ut, quodcunq; animo volvam, quodcunq; vel ore  
Eloquar, aut quod opus fecero cunque manu;  
Usq; tuum verear nomen laudemq; verendum,  
Et discam intrepidâ mente subinde mori.  
CHRISTE tuo rege me, me serva Numine, tandem  
Arbitrioq; tuo cum venit hora necis,

Da

Da mihi morte piâ placidaq; mori, atq; beatam  
Da famulo requiem post pia fata tuo.

MICHAEL PRAETORIVS, C. in  
aula Brunsvicensi Capellæ Magister,  
cognato suo amantissimo f.

VII.

EPITAPHIVM.

Adsta Viator & haud gravatè pauculos  
A Percurre jambos. BALTHASAR LEICHERIAE  
Laus magna gentis, TORGA cui vitam dedit,  
Et quas ephebum scire literas decet,  
Bonisque LEVCORIS eruditæ artibus;  
Is ardui ergo post labores muneris  
Paullum hîc, quiescit. Nam Monarcha Saxonum  
Fidem probavit CHRISTIANVS illius,  
Qua rem gerebat integrè nummariam.

Vxore natam vidit è prima unicam,  
Quæ moritur infans: Altera cum conjuge  
Annos bis octo vixit ut concorditer,  
Sic absque prole. Lustra dena impleuerat  
Menses bis undecimq;: Cum jussu DEI  
Vitæ beato fine clausit tempora.  
Scis, quæ volebam. Expectat omni ceu loco  
Te mors, ita omni fac necem expectes loco:  
Et esse talis vitæ in omni nitere,  
Qualis fuisse, ubi moriêre, voles, Vale.

M. NICOLAUS HARDKOPF  
Stadensis Saxo.



Ms 3709 OK

n. 10



QK 336, 18.




TH  
Beatif  
ria Viri

BAL  
LE

Præfe  
Saxon, io  
morbo

Cogn

D  
Typis H



TIFFEN® Color Control Patches © The Tiffen Company, 2007



Z c  
3709

BIBLIOTHECA  
PUNICHAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

X 2055582

Samuelintendenz

